S. D. N. D. PAVLI DIVINA PROVIDENTIA PAPAE III.

BVLLA

PROROGATIONIS SVBSIDII
Triennalis, per totam ditionem ecclesiasticam impo
siti: ac vnius Decimæ secularium, & quartę partis
fructuum regularium beneficiorum ecclesiasti
corũ: ac vnius Vigesimæ valoris bonorum
Hebræorum, in tota Italia, necnon Sici
liæ, Corsicæ, & Sardiniæ insulis con
sistentium: ad aliud Triennium,
à fine primi Triennii com
putandum.



PAVLVS EPISCOPVS SERVVS ſeruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Licet à principio noſtræ ad ſummi
Apoſtolatus apicem aſſumptio/
nis, ſemper in mente habuerimus
Subditos noſtros ab extraordina
riis oneribus immunes pręſerua/
re. Nihilominus ærario Cameræ
apoſtolicæ, propter malas præte/
ritorum temporum cōditiones exhauſto, pro orthodo/
xæ fidei defenſione, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſta/
tus conſeruatione, necnon bellis procul pellendis, coa/
cti fuimus, ſicut ad præſens cogimur, à dictis Subditis,
tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, diuerſa Subſidia
petere, decens eſſe cenſentes. Nos ex debito Paſtoralis
officii, nobis, licet immeritis, ex alto commiſſi, eam in
dominici gregis infirmitatibus medicinam adhibere de
bere, quæ ſanitatem facilius præſtare, & minus incom/
modum afferre poſſit. Cum itaq; nos alias, de Anno
Milleſimo quingenteſimo quadrageſimotertio. Ponti
ficatus noſtri, Anno Decimo, animaduertentes ex va/
riis & extraordinariis onerum impoſitionibus tunc vi/
gentibus, nihil aliud magis euenire, quam Commiſſa/
riorum & aliarum perſonarum, cum eadē Camera con/
trahētium lucra, ac Subditis ipſis innumerabiles expen
ſas, ipſis forſan principalibus oneribus grauiores. Vo/
lentes in præmiſſis opportune prouidere: de venerabili
um fratrum noſtrorum dictæ Romanæ Eccleſię Cardi
nalium cōſilio, cum laudabili rei directione, cunctis im
poſitionibus extraordinariis ſublatis. Vnum vnicūq;

Subsidium Trecentorum Millium Scutorum per to/
tam ditionem ecclesiasticã pro Triennio tantũ soluen/
dum & exigendum imposuimus: cumq; Subsidium hu
iusmodi spontanea Subditorum volũtate acceptatum
fuisset, & in effectu summa Trecẽtorum Millium Scu
torum huiusmodi ad Cameram præfatam annuatim
exinde prouenire non posset, ad supplendum summæ
deficienti aliud quartæ partis fructuum à congregatio
nibus regularibus Italiæ, & aliud vnius Decimæ à secu/
laribus, ac aliud etiam quartæ partis fructuum à benefi/
ciis regularibus, à Congregationibus regularibus præ/
dictis separatis, per totam Italiam existentibus, necnon
reliquum, vnius Vigesimæ ab Hebræis ditionis Eccle/
siasticæ exigenda subsidia, & per eos & alios omnes ad
quos spectaret, triennio durante, Cameræ apostolicæ
prædictæ, Annis singulis integre persoluenda imposui
mus: quæ quidem subsidia, Triennio exacto, quiete, &
sine aliqua Commissariorum & expensarum grauami/
ne, maximaq; Subditorum & personarum, quæ illa sol
uerunt, cum satisfactione exacta fuerunt, & cum neces/
sitatibus nostris, & apostolicę sedis nedum vigentibus,
quinpotius latæ propter bellum Germanicum, contra
hæreticos motum, aliasq; rationabiles per notas causas
crescentibus, ad aliud triennium, partim prorogata fue
riut. Nos necessaria causa cogente, non possumus reli/
qua Subsidia prædicta adhuc non prorogata, ad aliud
triennium non extendere, firma spe, fiduciaque conce/
ptis, quod Subditi, & alii, ad quos spectat, onera huius/
modi, non minus pro eorum commoditate, quàm pro
subueniendis necessitatibus prædictis, libenti animo su
stinebunt. Idcirco de eorundem Cardinalium consilio

&assensu

& assensu, ac Motu proprio, & ex certa scientia, ac de a-
postolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium im-
positiones singulorum Subsidiorum prædictorum, nec
non conuentiones, cum Subditis ac regularibus Cógre
gationibus, necnõ personis ecclesiasticis, ac Hebreis prę
fatis, per agentes nostros desuper respectiue factas, ac
exactiones subsecutas, de ordine & mandato nostris p-
cessisse attestantes, volumus & mandamus, quod singu
la Subsidia prædicta, per aliud triennium, à fine primo-
dicti triennii computãdum soluantur, ac per tempus hu
iusmodi prorogata & extensa esse intelligantur, ac exi
gi, & ad dictam Cameram pro necessitatibus huiusmo-
di prouenire debeant, & quatenus opus sit, singula Sub
sidia huiusmodi, in locis & terminis, ac sub modis, &
formis, quibus in primo triennio imposita & exacta fue
runt, singulis annis exigenda, de nouo pro dicto trien-
nio tantum imponimus & imposita esse nunciamus.
Quocirca dilecto filio nostro Guidoni Ascanio, sancti
Eustacchii Diacono Cardinali de sancta Flora nuncupa
to, eiusdem Romanæ Ecclesiæ Camerario, quem, vltra
ordinariam sui Camerariatus officii auctoritatem, Col-
lectorem generalem, cum facultate tot quot sibi neces-
sarii videbuntur, commissarios ad singula Subsidia prę
dicta exigendum, deputandi, necnon quæcunq; dubia
declarandi, & quascunq; compositiones & concordias,
cum subditis, congregationibus, personis ecclesiasticis,
ac hebręis supradictis, etiam de nouo, si sibi videbitur,
faciendi, facimus, creamus, cõstituimus, ac deputamus,
Per præsentes committimus & mandamus, quatenus
Subsidium huiusmodi, iuxta eius prouidam ordinatio-
nem exigi, & ad dictam Cameram apostolicam perue-

 nire

uire faciat. Contradictores quoslibet & rebelles, per censuras ecclesiasticas, & pœnas, etiam pecuniarias eius arbitrio infligendas, ac interdicti, & alia opportuna iuris & facti respectiue remedia, appellatione postposita cō/pescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, ac decernentes Subditos ditionis Ec/clesiasticæ, ac congregationes, & Hebræos, ac alios prædictos, ad Subsidia prædicta singulis annis, ac modis & formis, quibus in triennio exacto soluerunt, dicto se/cundo triennio durante, integre soluendum omni contradictione cessante, teneri, ac ipsos ad Subsidia prædicta, Necnon omnes & singulos venerabiles fratres Ar/chiepiscopos, Episcopos, Patriarchas, nō tamen Tridenti pro Concilii celebratione congregatos, necnon Capitula, Collegia, Massas, Communes, Vniuersitates, Re/ctores, & Administratores, aliasq; personas ecclesiasti/cas, necnon Abbates, Priores, Prępositos, Prælatos, Cō/mendatarios, Conuentus & personas ecclesiasticas quo/modolibet qualificatas, ad vnius Decimæ, iuxta verum annum valorem omnium & singulorum fructuum, redituum, & prouentuum quarumcunq; Cathedralium, etiam Metropolitanarum ac Patriarchalium, & Colle/giatarum, Parochialiumq;, & aliarum ecclesiarum, ac hospitalium, pro bonis Hospitalitati minime applicatis, & piorum locorum, necnon quorumcunq; aliorum bene/ficiorum, cum cura, & sine cura secularium vtcunq; qualificatorum, per totam Italiam huiusmodi, etiam in Regno Siciliæ vltra Pharum consistentium, necnon quar/tæ partis veri annui valoris omnium & singulorum fructuum, reddituum, & prouentuum quorumcunq; Mo/nasteriorum, Prioratuum, Prępositurarum, Domorum,

& be/

& beneficiorum sancti Benedicti, Cistercien. sancti Au/
gustini, & quorumuis aliorum ordinum regularium
etiam mendicantium, à Congregationibus regularibus
supradictis separatorum, etiam in dicta Italia vbilibet,
vt præfertur, existentium, iuxta impositionem huius/
modi, efficaciter obligatos fore, & ad decimæ & quar/
tæ partis fructuum huiusmodi solutionem, omnes, &
singulos supradictos dictæ Roman. Ecclesiæ, Cardina/
libus, qui ad sustinendum onera vniuersalis Ecclesiæ,
nobiscum laborant, ac fratribus hospitalis Hierosoly/
mitani, quo ad beneficia dicti hospitalis tantum dunta
xat exceptis, censuris, & pœnis ecclesiasticis, ac interdi
cti, & aliis remediis prædictis, cogi & compelli posse: ac
declarantes propterea quod omnes & singuli pensiona
rii, seu ii, quibus loco pensionum fructus, in totum vel
in partem reseruati sunt, cuiuscunque conditionis, vel di
gnitatis existant, dictis Cardinalibus exceptis, ad deci/
mæ & quartæ partis fructuum, tam congregationibus
regularibus, quàm beneficiis regularibus, à dictis Con/
gregationibus separatis impositarum, præstationem in
omnibus, & per omnia, perinde ac si illa eis nominatim
& expresse per præsentes imposita fuissent, clausulis, &
decretis in literis apostolicis reseruationum pẽsionum,
& fructuum huiusmodi appositis, etiã quod dictæ pen/
siones ab omni decima, Subsidio charitatiuo, & quouis
alio onere, tam ordinario, quám extraordinario, quauis
auctoritate etiam apostolica, pro expeditione tã defen/
siua, quám offensiua, contra Turcas, & alios infideles,
aut reipublicæ Christianæ, ab illorum conatibus, qua/
uis defensione, ac etiam pro recuperatione Terræ San/
ctæ, seu Fabricæ Basilicæ Principis apostolorum de V r

bc, vel

be, vel pro alia necessitate, seu inexcogitabili causa, a Ro. Pōtifice ꝑ tēpore existente, etiam motu, & ex certa sciētia similibus, imposito vel imponēdo, exemptæ sint dispōnētibus nequaquā obstantibus, ꝑ rata teneant & efficaciter astricti sint. Quodq; Prælati seu titulares Monasteriorum, Prioratuum, Præposituraru̅, & beneficiorum, sup q̄bus pēsiones seu fructus, sic reseruatæ, seu reseruati exist ūt, possunt satisfacere ratam pēsionariorum suorum, seu eorum, q̄bus fructus sunt reseruati: ac libere postmodū, sua propria auctoritate, penes, seu ꝑ se, retinere totum illud, quod ꝑ ipsis pēsionariis, seu ꝑ eis, q̄bus fructus hmōi sunt reseruati, re ipsa, & cū effectu psoluerint: & nihilominus pēsionarios, ac eos, quibus fructus hmōi reseruati sunt, p agētes dictæ Cameræ apost. ad solutionē Subsidii vnius seu quartæ partis pēsionū, ac fructuum reseruatorum hmōi respectiue, dicto secūdo triēnio durāte, iuris & facti remediis opportunis, cogi & cōpelli posse volumus. Nō obstātibus q̄buscuis cōstitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Præposituraru̅, ac congregationum, & beneficiorum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, necnō q̄buscuis priuilegiis, indultis, exemptionibus; etiam in corpore iuris clausis, immunitatibus ac literis apostolicis, eisdem ordinibus, & congregationibus, ac illorum locis, & personis, generaliter vel specialiter, sub quibuscunq; verborum formis, & expressionibus ab eadē sede concessis: quibus omnibus literis reseruationū pēsionum, & fructuum huiusmodi, necnon quibusuis obligationibus, etiam in forma Cameræ, cum iuramēto, & cēsurarum, &

rum, &

rum,& mādati executiui susceptione, vel alias desuper factis, etiam si de illis eorumq; totis tenoribus de ver/ bo ad verbum, mentio seu quæuis alia expressio haben da foret,& in eis caueatur expresse, quod per huiusmo di clausulas generales, etiam specialem mentionem im portantes, eis non derogatum censeretur ad derogari videretur, nisi sub certis modo & forma in eis expres/ sis, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter ex pressis habentes, illis alias in suo robore permansuris. hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscunq;. Aut si Episcopis, Archiepisco/ pis, Patriarchis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Præla tis, Conuentibus, Collegiis, Vniuersitatibus, & perso/ nis præfatis, vel quibusuis aliis, communiter vel diui/ sim, ab eadem sit sede indultum, quod ad solutionem, vel præstationem alicuius subsidii, seu Decimæ, mini/ me teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, sus pendi, vel excommunicari, seu propterea grauari non possint, per litteras apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbū de indulto huiusmo/ di mentionem, & quibuslibet aliis priuilegiis, indultis, & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quo/ rumcunq; tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impe/ diri valeat quomodolibet vel differri, & de qbus quo/ rumcunq; totis tenoribus, habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quæ quo ad præmissa, volumus nulla tenus suffragari. Vt autem præsentes, ad omniū noti tiam deducantur; eas in Valuis Basilicarū Principis apo stolorum, & sancti Ioannis Lateraneñ. de dicta vrbe, af figi seu appendi faciemus, quę se suo quasi sonoro præ

conio

conio publicabũt, vt ii quos præmissa contingũt, quod ad ipsos non peruenerint, aut ea ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus extiterit publicatum. Cæterum, quia difficile foret præsentes, ad singula loca, in quibus expediens fuerit deferre: volumus & auctoritate apostolica prædicta decernimus, quod earundem præsentium transumptis, manu alicuius ex Cameræ apostolicæ notariis subscriptis, & sigillo Camerarii nostri munitis, ea prorsus fides in iudicio & extra, in omnibus & per omnia adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ attestationis, impositionis, nunciationis, facti, creationis, constitutionis, deputationis, commissionis, mandati, declarationis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis dominicæ, Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. Septimo Idus Ianuarii. Pontificatus nostri, Anno Tertiodecimo.

Romæ apud Antonium Bladum Asulanum.
Die X. Martii. M.D.XLVII.
Hier. de Tarano.

✠ Ego Paulus Catholice Ecclesiæ Ep̄s ſubcripſi.



❡Epiſcopi Cardinales.

✠ Ego Io. Do. Ep̄s Cardinalis Oſtieñ. ſubſcripſi.
✠ Ego Io. Epiſcopus Portueñ. Cardinalis ſubſcripſi.
✠ Ego Philip. Card. de Bolonia Tuſculañ. Ep̄s ſubſcr.
✠

✠ Ego E. Epiſcopus Albaneñ. Car. Verulañ. ſubſcri.

❡Presbyteri Cardinales.

✠ Ego Ia. Cardinalis Sadoletus ſubſcripſi.
✠ Ego R. Cardinalis de Carpo ſubſcripſi.
✠ Ego I. Cardinalis Burgeñ. ſubſcripſi.
✠ Ego V. Cardinalis de Gambara ſubſcripſi.
✠ Ego A. Cardinalis Ariminეñ. ſubſcripſi.
✠ Ego B. Cardinalis Cuidicionus ſubſcripſi.

✠ Ego M. Cardinalis Vicen. subscripsi.
✠ Ego Io. Cardinalis Moronus subscripsi.
✠ Ego M. Cardinalis Crescentius subscripsi.
✠ Ego G. Gardinalis Cortesius subscripsi.
✠
✠ Ego Franc. Cardinalis Amalfitan. subscripsi.
✠ Ego Fed. Cardinalis Cæsus subscripsi.
✠ Ego Du. Cardinalis de Durantibus subscripsi.
✠ Ego N. Cardinalis Ardinghellus subscripsi.
✠ Ego F. Tho. Cardinalis S. Syluestri subscripsi.

¶ Diaconi Cardinales.

✠ Ego N. Cardinalis Rodulphus subscripsi.
✠ Ego H. Cardinalis S. Hadriani subscripsi.
✠ Ego N. Cardinalis Gaddus subscripsi.
✠ Ego A. Cardinalis de Farnesio Vicecancell. subscri.
✠ Ego G. AS. Sfor. Card. Camerar. subscripsi.
✠ Ego Reg. Cardinalis Polus subscripsi.

✠
✠ Ego N. Cardinalis Caietanus subscripsi.
✠ Ego Iac. Cardinalis Sabellus subscripsi.
✠ Ego A. Cardinalis Cornelius subscripsi.
✠ Ego Hier. Cardinalis Sancti Georgii subscripsi.
✠

A. Lalata.

Registrata in Camera Apostolica.

Hier. de Tarano.

Romæ apud Antonium Bladum Asulanum.
Die X. Martii. M.D.XLVII.